

ab omnibus levitas materiae admittatur, is tantum venialiter peccare censendus est, qui voluntarie breves distractiones admittit.

1058. III. Juxta *Laymann* L. 4. t. 1. c. 5. n. 10. si Beneficiatus se accuset, quod sub recitatione Breviarii frequentissimas distractiones habuerit, vel sine attentione interna recitaverit horas, non statim imperandum est, ut restituat fructus, quia, etsi peccaverit per voluntarias distractiones, eatenus tamen justitiae satisfecit, quatenus opus externum praeceptum bona intentione et aliquali attentione, ut supponitur, persolvit.

1059. IV. Scrupulosus circa recitationem horarum *observet* sequentia. *Primo*, si anxius sit, an habuerit intentionem, audacter secum statuat, quod habuerit, et cogitet: Prudenter praesumo, advuisse intentionem hoc ipso, quod recitem vel recitaverim Officium. Si urgeat anxietas: Nescio, an voluerim satisfacere obligationi; quid tum? non enim requiritur expressa intentio satisfaciendi, sed sufficit intentio dicendi Officium, vel colendi Deum, vel suae obligationi satisfaciendi. In decursu non sit sollicitus de intentione: haec enim perseverat, quamdiu pergit recitare, statque cum brevi distractione; imo etsi amissa esset per longiorem moram, rediret tamen per exclusionem distractionis, proseguendo coeptum opus; imo ex metu, ne amissa sit, vel non renovata, colligat certo, quod adsit intentio.

*Secundo*, eodem modo se resolvat, si dubius sit de attentione, quamdiu certus est, quod non conjunxerit actiones, quae ex natura sua plane tollunt omnem attentionem. Si iterum urgeat anxietas: Oculis aliquoties circumvagatus sum, subito interrogatus respondi, et iterum perrexi etc. R. Hae actiones ex natura sua non tollunt omnem attentionem.

*Tertio*, si dubitet, an bene expresserit omnia, an voluntarie fuerit distractus, nihil repetat; potius enim credendum, recte omnia peracta esse, donec certo constet de opposito. *Illsung.* t. 5. n. 40., *La Croix* L. 4. a n. 1350.

*Quarto*, inter recitandum non haereat scrupulosus, sed praemissa intentione alacriter decurrat sine haesitatione et intentione capitis, sine anxia sollicitudine, ne distrahatur; haec enim vel maxime causat distractiones; non facile repetat verba, multo minus sensus integros, et Deum non sibi proponat tantum ut exactorem severissimum, cui satisfacere vix possit, sed ut benignum patrem, cui magis placet virilis ac moderata cura, quam servilis timor, et anilis anxietas.

*Quinto*, expleta hora vel officio scrupulosus nihil repetat, etsi timeat, ne recitaverit male, quia Ecclesia non obligat cum tanto gravamine; imo si decies repeteret, decima recitatio eundem secum timorem traheret, quem prima; sic quotidie usque ad duodecimam nocturnam debet repetere, et statim iterum incipere Officium, ut praesentem diem iterum impendat pro iterandis horis cum eadem anxietate iterum persolvendis. Cave, scrupulose, repetitiones horarum, ni brevi velis insanire.

*Sexto*, Confessarius scrupulosi si advertat, quod nimium temporis consumat in recitando, determinet ei tempus ordinarie requisitum, et a nobis impendi solitum, et urgeat, ut accurate intra limites praefixos determinatas horas persolvat.

1060. Q. VIII. Quale Officium obligati ad horas debeant recitare? R. Generatim loquendo, tenentur recitare illud Officium, quod pro ea die, qua recitant, praescribitur in proprio suae dioecesis, aut sui Ordinis, vel si utantur Romano, ex illo, quod recognovit *Urbanus VIII.* Unde

1061. *Resolves* I. Quod is peccet, qui *advertenter*, et *sine justa causa* Officium Canonicum unius diei commutat cum Officio alterius diei. Hinc

damnata est ab *Alexandro VII.* propositio in ordine 34.: *In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit praecepto.* *Lugo* tamen L. 5. resp. mor. dub. 8., et *Viva* hic n. 16. excusant illum a peccato et debito repetendi eadem die Officium, qui inadvertenter Officium pro Officio recitat (excepto solo Paschali in die Palmarum) tum quia talem bona fides excusat, tum quia Ecclesia ceu pia mater non praesumitur exigere supplementationem alterius Officii; praesertim, si Officium persolutum fere aequale sit omisso. *Holzmann* p. 3. n. 466. Item si quis errorem post aliquas horas deprehendat, iidem affirmant, sufficere, si extunc ille error corrigatur.

1062. II. Omnis Clericus sive saecularis, sive regularis, existens alibi tanquam advena, potest recitare Officia, quae recitaret in Dioecesi sua vel Collegio, v. g. de Reliquiis, Dedicatione, Patrono etc. Ita *La Croix* L. 4. n. 1244.

1063. Q. IX. Quomodo ulterius recitandum sit Breviarium? R. *Primo*, *vocaliter*, hoc est, ut verba voce exprimantur; probabilius autem necesse non est, ut recitans sine socio se ipsum audiat, quia alias, si esset surdus, aut fieret notabilis strepitus, aut musicorum concentus, non posset quis persolvere Officium; sufficit igitur, ut tam articulate formentur (*NB.* non tantum in gutture, intra dentes, et vix mota lingua inchoentur formari) verba, ut se ipsum posset audire, si non adesset externum impedimentum, aut ipse accurate auscultaret. *Palao* t. 7. d. 2. punct. 2. Si quis recitet cum socio, ambo ita tenentur proferre verba, ut ea mutuo percipiant, quia quilibet debet communicare, vel sibi suam facere eam partem, quam alter, et non ipse recitat. *Reginaldus* L. 4. c. 10. n. 87. Addit hic *La Croix* l. c. n. 1301. quod nimia celeritas faciens, ut socius verba non possit satis percipere, sit ordinarie veniale peccatum, nec obliget ad repetendas horas; secus si alter ob nimiam celeritatem socii vix unum alterumve sensum possit percipere. Nec satisfit praecepto, si secundus incipiat, priusquam alter suos versus absolverit, *idque fiat in notabili quantitate*, v. g. si alter incipiat, dum primus vix mediam partem versus absolvit; quia quae simul proferuntur, non constituunt orationem ab Ecclesia praescriptam, quae essentialiter debet esse successiva, et habere unam partem post alteram. Satisfit tamen praecepto, si alter incipiat ad unam alteramve syllabam ultimi verbi.

1064. *Secundo*. Recitandum est *integre*, scilicet ut non solum nihil omittatur, sed etiam ut omnia verba sine truncatione vel mutilatione proferantur. Haec si fiat in materia notabili, et in singulis fere sensibus, culpam gravem continet, quia fit variatio sensuum: si vero truncatio non variet sensum, et non fiat frequens, raro culpam mortalem involvit: imo nulla culpa erit, si fiat ex inadvertentia, vel balbutie, vel in ultimis tantum syllabis. Vide *Lessium* L. 2. c. 37. n. 56.

1065. *Tertio*. Recitandum est *continue*, hoc est sine interruptione partis horae a parte ejusdem horae. Juxta *P. Gobat* in Theol. exper. t. 5. n. 669. si sit interruptio notabili tempore durans, esset quidem venialiter peccaminosa, non vero graviter; eoquod, licet sit aliqualis irreverentia, coeptum colloquium cum Deo interrumpere, non tamen potest ostendi lex graviter id prohibens: imo si brevis sit interruptio, aut ex justa causa longior, v. g. si Confessarius, qui incoepit horam recitare, Officium interrumpat, ut venientes aliquos poenitentes audiat et absolvat, non peccat, nec erit, cur repetat ea, quae jam rite recitavit: quia interruptio facta est ex justa causa. Ibidem num. 671. *P. Gobat* ait, justas causas interrumpendi esse, v. g. siquid facias ad tollendam distractionem: si quis te alloquatur, cui humanitatis causa debes respondere: si ad manus non habeas lectiones, sed solos



psalmos, et interim suppetat justa causa recitandi Matutinum, poteris differre lectiones etc. Porro affirmat *La Croix* l. c. n. 1305. cum *Lessio*, *Navarro*, et aliis, Matutinum posse etiam sine causa dividi tota nocte a Laudibus, in fine autem tunc debet addi *Pater noster*, non autem esse opus addere orationem diei, eoquod specialiter tantum in nocte Nativitatis Christi id praecipitur: contrarium affirmant *Bonacina* et *Gavantus*, qui dicunt, debere addi orationem diei, sed sine commemorationibus. Probabilis est, initio Laudum divisarum non debere dici *Pater* et *Ave*, quia nullibi praescribitur, imo nec dicitur initio Completorii, quamvis sit hora distincta.

1066. *Quarto*. Recitandum est *ordinate*, hoc est, sine inversione ordinis, ita ut prius recitari debeant Matutinum et Laudes, dein Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperae, et Completorium. Juxta communiorem tamen apud *Palao* t. 7. d. 2. punct. 4. hic ordo (*secluso contemptu et scandalo*) non obligat graviter, sed sub veniali peccato, quia non pertinet ad substantiam praecepti; licet enim invertatur, tamen totum Officium persolvitur. Juxta *La Croix* l. c. n. 1309. causa sufficiens invertendi ordinem est 1. si quis mane non habeat in promptu Breviarium, nec commode possit exspectare, poterit ex Diurnali, quod habet, recitare horas diurnas, postea recitaturus Matutinum. 2. Si quis invitetur ab amico ad recitandas horas minores, cum ipse necdum recitaverit Matutinum, poterit cum invitante orare saltem tum, quando sine aliqua inurbanitatis nota id negare non potest. 3. Si quis sero veniat ad chorum hora jam incoepa, poterit pergere cum aliis canere, et omissa postea supplere. *Laym.* l. c. c. 5. n. 7. Denique juxta *P. La Croix* l. c. n. 1311. si quis oblitus sit recitare aliquam horam vel partem horae notabilem, potest eam postea solam supplere, etiam sero vespere, si tunc prius recorderetur, nec necessarium est aliquid aliud repetere. Si vero in media hora advertas, te quaedam omisisse, potes pergere ad finem, et postea supplere defectum.

1067. *Quinto*. Recitandum est *statuto tempore*. Hoc incipit ab hora duodecima unius noctis, et durat ad duodecimam immediate sequentis noctis. Quamvis autem quis satisfaciat praecepto quoad substantiam, ut mortaliter non peccet, si intra 24. dictas horas Officium recitet; quia tamen horae ipsae ex pia praxi Ecclesiae tempus praedictum ita inter se partuntur, ut Matutinum cum Laudibus (*nisi pridie sit anticipatum*), Prima, Tertia, Sexta, et Nona vindicent sibi tempus antemeridianum, Vesperae vero et Completorium tempus pomeridianum; ideo saltem peccat venialiter, qui *sine causa rationabili* horas, quibus assignatum est tempus antemeridianum, recitat tempore pomeridiano aut vicissim, quia tempus est saltem modus praeceptum afficiens, et circumstantia de congruo observanda. *Confirm.* ex orationibus in diversis horis praescriptis. Sic certe sapit inconvenientiam, si quis sub noctem recitat hymnum ex Prima, *jam lucis orto sidere*. Dixi, *sine rationabili causa*: non enim peccaret, qui ex justa causa non servaret tempora. Causae ejusmodi sunt juxta *La Croix* l. c. num. 1313. concio paranda, major devotio, periculum impedimenti obventuri, item si tempus matutinum tibi sit aptius ad studendum, maxime si studia urgeant ex officio, item impedimenta orta ex cura animarum etc. etc. Habetur etiam ex Bulla *Clementis VII.* data pro Clericis Regularibus, quae incipit: *Dudum pro parte vestra*, quod ratione itineris aut alterius occupationis, quando creditur, quod majori cum devotione dicturi sint Officium, possit illud a Clericis Regularibus recitari mane totum usque ad Completorium inclusive. Denique vi Bullae *Julii III.* quae incipit: *Sacrae Religionis*, possunt Sacerdotes Societatis Jesu ex facultate Praepositi Generalis, aut ejus, quem ipse ad id substituerit, Officium divinum Missae postponere justis de causis.

Dixi etiam supra, *nisi Matutinum pridie sit anticipatum*: licet enim ex privilegio omnibus concesso recitare Matutinum et Laudes privatim vespere antecedente, horis in tabella, quae Romae anno 1706. typis Camerae Apostolicae prodiit, et passim in Directoriis habetur.

Alias commodius traditur requens regula: *Subtracta medietate horarum pomeridianarum ab hora diei duodecima usque ad occasum solis, restabit tempus, quo licet pridie Matutinum et Laudes sequentis diei post Vesperas privatim anticipare*; v. g. vigesimasecunda Decembris numerantur horae quatuor a meridie ad occasum; subtracta medietate, a quatuor remanent duae; ergo hora secunda licebit. *Inspice tabulam appositam.*

OCCASUS SOLIS	HORA ANTICIPANDI
21 Jan. med. . . . . 5	HORA 2. cum quadrante.
19 Febr. paulo post . . . . 5	„ medio tertiae.
21 Martii . . . . . 6	„ 3.
Circa init. April. med. . . 7	„ 3. cum quadr.
21 April. . . . . hor. 7	„ medio quartae.
22 Maji . . . . . hor. 8	„ 4.
22 Junii paulo post . . . . 8	„ 4.
23 Julii . . . . . 8	„ 4.
23 Augusti . . . . . 7	„ medio quartae.
Init. Septembr. . . med. 7	„ 3. cum quadr.
23 Septembr. . . . . 6	„ 3.
23 Octob. 3. quadr. ad . . . 5	„ medio tertiae.
24 Novemb. 3. quadr. ad . . 4	„ 2.
22 Decemb. . . . . hor. 4	„ 2.

1068. Q. X. An quis unico Officio possit satisfacere duplici praecepto pro die praesenti et crastino? R. *Negative*: quia id expresse prohibetur in Decreto *Alexandri VII.* damnantis propositionem 35. *Ratio* est, quia obligatio recitandi horas est affixa diei, quatenus pro quolibet die Officium recitari debet, ergo sicut duo dies non possunt esse unus dies, ita pro duobus diebus unum idemque Officium recitari non potest. Ex eadem ratione omissio Officii pro hodierno die non potest altero die suppleri.

1069. Q. XI. An Beneficiatus omittens Officium teneatur ad restitutionem fructuum ante sententiam judicis? R. *Affirmative*, ut patet ex propositione 20. ab *Alexandro VII.* damnata. Huc quoque pertinet, quod habens beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, non satisfaciat suae obligationi, si Officium per alium recitet, ut patet ex propositione 21. ab *Alex. VII.* damnata. *Ratio* est, quia obligatio recitandi horas est onus personale, non secus ac onus audiendi Missam, implendi poenitentiam. Hinc *Trident.* sess. 24. cap. 12. reform. ait: *Omnes divina per se, et non per substitutos, compellantur, obire beneficia.* *Confirm.* Constitutus in Sacris non potest huic obligationi satisfacere per alium, quia haec est annexa ordini sacro: ergo nec satisfaciunt Beneficiatus, quia dicta obligatio est annexa beneficio. Hinc infert *Viva* cum *Lugo*, quod orans per alium peccet graviter, etiamsi fructus beneficii velit esse pauperum, quia onus recitandi non est conditionatum, *si velit fructus beneficii facere suos*. Neque restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque elemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit, ut patet ex propos. 33. ab *Alexandro VII.* damnata. *Ratio* est, quia donatio praecedens fuit omnino liberalis: ergo per eam nequit satisfieri obligationi supervenienti, quae prius jam absolute transit in dominium pauperis.